B. N. C
FIRENZE
1060
20

Digitized by Google

Hunt. 1667. 90.

Digitized by Google

CORONA AUSTRIACA
AUGUSTISSIMO
DOMINO
DN. CAROLO SEXTO
ROMANORUM
IMPERATORI
GLORIOSISSIMO
Sereniſſimis ELECTORUM REGNI
ſuffragiis,
Europa applaudente,
HEROICIS BRANDENBURGENSIBUS
ſubjectiſſimè cantata
à
JOH. WILHELMO PETERSEN,
S.S. Theol. D.

Coloniæ Brandenburgicæ,
Typis ULRICI LIEBPERTI, Regii Typographi.
ANNO M. DCC. XI.

4060.20

Convenêre Duces, atque Electricia Mœno
Nomina, conſcriptique Patres, tantique Senatus
Sedit conſilium, rem magnam & pondera rerum
Ingenti complexi animo, pervolvere ſortes
Incipiunt, ſacrumque ſibi decernere Regem,
Qui ſit par oneri, qui robuſtiſſimus Atlas
Dirigat Auſonium collectis viribus orbem.
CAROLE, Divorum ſangvis, Regnique propago
Auſtriaci, quem mille petit Germania votis,
Teque ſibi Dominum rogitat, Tu, maximè CÆSAR,
Eligeris communis Amor, Tu poſceris unus
Cæſareâ dignus mitrâ, dignusque Coronâ.
Te Regni Proceres, Te tota Britannia poſcit,
Te Moſchus, Te Danus amat, fortisque Polonus
Pruſ-

Pruſſiaque aſſociat tantæ ſua Sceptra Coronæ,
Et Batavus cupidis Aquilam complectitur ulnis.
CAROLE Rex, propera, lætos da cernere vultus,
Illos candidulos vultus, queîs ſydera vincis
Pulchrior, agnoſco Romani lumina Regis,
Dignum Auguſtorum nomen, magnumq; Monarchã.
Jam Patris Auguſti LEOPOLDI redderis Hæres,
Et tanti compar ſolii, Te Mater amata
ELEONORA cupit, Teque ipſa Hungaria poſcit,
Motus deponens varios, & lenius undas
Volvit Danubius, placidoque allabitur amne.
CAROLE, care veni, propera, quid amica tuorum
Vota morare? veni! patriâque relinque remotam
Heſperiam, & ſolem nimium, Te electio gentis
Teutonicæ in ſublime vocat divina tribunal,
Atque Orbis vult eſſe caput, quem noverit altâ
Majeſtate frui, mentemque hauſiſſe Deorum,
Et blandum torvis oculis præponere vultum.
Te Duce, in auxilium pavidos aget Aula timores,
Dediſcet gemere, & muliebres fundere fletus
Auſtriadûm pullata domus, ſine vindice telô,
Centum laurigeros agitabit in ardua currus
Virgo Themis, Regemque videns præcepta daturum
Aurea, & in ſolio ſeſſurum jure paterno
Optabit florere diu, qui miſſus ab alto,
Saturno regnata Seni, nova ducat in orbem
Secula, & è ſuperis ingentem ſedibus annum.
Jam proſcribe tuos atrata VIENNA dolores,

 Nec

Nec ferrugineis incede Auſtraſia pallis,
Sparſa comas, raptum nec per pia fata JOSEPHUM
Mater mœſta dole, aut LEOPOLDI Cæſaris Umbrã.
Vivit adhuc, ſpiratque ſuo de vertice Numen
In CAROLUM Patris victuri Spiritus ingens,
Auguſtumque animat, cineresque reducit avitos.
Nam veluti propriis ales Titania buſtis
Naſcitur, & veteres cernit juveneſcere plumas,
Qui neque concepto foëtu, nec ſemine ſurgit,
Sed pater eſt, ſobolesque ſui, nulloque creante
Effœtos artus, fœcundâ morte, reformat:
Sic petit alternam LEOPOLDI ſpiritus auram,
Visque renata ſibi tetrici contagia mundi
Neſcit, & exeſis vitam miratur in urnis,
Principiumque videt rurſus, ac ſæpe renaſci
Incipit, atque aliâ melior redit ipſe figurâ.
Sunt, quibus arridet vetus hæc ſententia Vatum,
Eſſe revolvendas, certô ſub tempore, mentes,
Quodq; iterũ ad Trojam Dux ſit mittendus Achilles:
Vox Samii fuit illa Senis, qui cuncta redire
Aſſerit; utque novis ſignatur cera figuris,
Sit quamvis eadem hæc, animam ſic ſemper eandem
Eſſe, ſed in varias tam ſæpe reſurgere formas.
Si quid in his unquam Veri, certique ſubeſſet,
Dicendum eſt, tranſiſſe Patrem ſub viſcera Nati,
Ac prorſus animam CAROLI ſub nomine Quinti
In CAROLUM Hunc Sextum verſâ rediiſſe figurâ.
Res quoque non parva eſt, ſi quis rem penſitet aptè,
Quam

Quam ſimiles rerum caſus in utrisque fuere
Cæſaribus, cum ſcena eadem repetita, vel actus
Fortunæ fuerit. Nam cum moreretur eodem
Anno Cæſar avus, functo & jam Patre Philippo,
Rex abſens, uti nunc, terrisque moratus Iberis,
CAROLUS eligitur Quintus per vota Monarcha,
Auſtriadesque petens auguſtæ redditur Aulæ.
Lis tunc magna fuit, domus añe Habſpurgica Regno
Succedat, Rudolphe, tuo? an Franciſcus in illud
Involet, & Latiis ſociet ſua Lilia ſceptris?
Anne aliùs Princeps Germano ſanguine regnet?
Pro Gallo Trevir certabat Epiſcopus audax;
Sed Moguntinus CAROLI defendere partes
Acris erat, Saxoque pius, quem elegerat Ordo,
Cæſareum detrectat ebur, ſtirpemq; RUDOLPHI
Poſtulat, & nunquam generoſâ â mente recedit.
Jam reputa, nuper quæ facta Tragœdia regni!
Quis negat, AuſtriacamGallum ſibi velle coronam?
Nam dudum aſtutus cœcô corruperat auro
Imperii Proceres aliquot, Bojarica flectens
Conſilia, incautosque trahens, mirâ arte Sinonis,
Proditione animos, quibus ipſa Colonia lævum
Adjunxit latus, & lymphatâ mente doloſas
Juravit temere Gallorum ſumere partes.
Quidnam igitur Celtas facturos eſſe putamus,
Tempore ſi nondum hæc mala prodita cauſa fuiſſet,
Eſſet & incolumis Bavarus, mitrâque priori
Iret Agrippinus, LEOPOLDO Cæſare raptô,

Interea fatis, atque exſpirante JOSEPHO,
Et CAROLO abſente, ac Hiſpana ſede morante.
Nonne ima immiſcens ſummis Acheronta movere
Cœpiſſent, Latiumque ſibi depoſcere Regnum?
Sed vicit fraudem Pietas, Deus atque Deorum
Qui populos frænat, tumidarum murmur aquarum,
Ventorumque iras cobibet, memor ipſe ſuorum,
Et LEOPOLDINIS precibus, ac thure perenni
Gaudens, Regnorumque ſimul moderator & Æqui,
Noluit aſtutos plus ultra aſſurgere pictos
Gallorum populos, geminisve accreſcere ſceptris.
Ad Te, ad Te potius Hiſpanæ gloria gentis,
O nimium dilecte Deo, Rex CAROLE, tranſit
Subjectumque Tibi, firmatis legibus, orbem
Dirigis, Auſtriacoque novo ſub murice regnas.
Vah! quanta inſedit regnandi cæca libido
Principibus, quantaque ſiti ſine fine laborant,
Et terris terras, & regna annectere regnis!
Non ea majores ſancti veſtigia nobis
Fæda reliquerunt, regnarunt paupere tecto,
Contenti, quô quisque loco ſua conderet arva,
Dum tellus communis erat, cum frigida parvos
Præberet ſpelunca domos, ignemque laremque,
Et pecus & Dominos communis clauderet umbra.
Sed cum res hominum tantâ caligine volvi
Inciperent & Amor nummi ſceleratus habendi
Creſceret, & rabidâ cor impleretur orexi,
Tunc ruere in pejus, retro & converſa cadebant
Omnia,

Omnia, tunc ferrum, ferroque nocentiùs aurum
Prodiit infelix, tunc itum in viſcera terræ,
Moxque gemellorum eſt ſævitum in viſcera fratrum,
Plurimaque intravit mala beſtia, frausque dolusq;
Innumeræque nigro natæ Phlegethonte Megæræ,
Ac tot, quæ in regnis habitant ſine Numine gentes,
Quæ rapiunt, quodcunq; libet, damnoſaque cudunt
Conſilia, & calcar ſceleris dominantibus addunt.
At noſter CAROLUS nullis his artibus uſus,
Succeſſit patrio fatis urgentibus oſtro,
Auguſtus Cæſar poſitis ſacratur in aris
Ac Romanorum circum ſua tempora ritu
Ipſe coronatur, ſed ebur tamen ipſe coronat.
Salve noſter Amor, ſalve Auguſtiſſime Cæſar,
Te Duce diffugiant omnes in tartara peſtes,
Quo venêre loco, pellantur ſede gigantes,
Qui ſancto obvertunt voces & lumina cœlo.
His pulſis redeat Pietas, Aſtræaque per Te
Priſca redux noſtras inviſat jugiter oras,
Ac toto tandem ſurgat gens aurea Mundò.
Salve magne Heros, magnum Patris incrementum,
Illuſtris pietatis apex, cui pectore in unô
Plurima concurrunt regalis dona tiaræ,
Virtutumque ſeges lætis proventibus albet.
Indue purpuream chlamydem, præreptaque Fratri
Sceptra fata cape, & ſacrâ ſublime coronâ
Cinge caput, lateque tuas pande Aliger alas.
Aſpice, ut expanſis volitet Germania pennis,

Ut ſubjecta tuis mandatis pareat, & Te
Prona colat, ponatq; metum, quem fronte Tyrannus
Incutit, & laqueos parentibus injicit arctos,
Ut faciat, quodcunque velit, ſævitque proterve
In timidas crudelis oves, tenerosque bidentum
Nil curans gemitus, funeſto bos diſſecat ungue.
Tu vero nobis Helice es, pro Caſtore nobis,
Pro Polluce micas, neve eſt formoſius Aſtrum,
Quam ſi ſubjectis radiet clementia terris.
Fortunata dies! albo ſignanda lapillo,
Æternis ſcribenda dies pulcherrima faſtis!
Quæ nobis CAROLUM retulit, Patremq; vocari
Juſſit, & alternos docuit nos reddere plauſus,
Quod diſpenſabit totum ſua jura per orbem!
Aſpice, ut Imperium Tibi ſe commendet alendum
Auſonium, Regina venit Hungaria jam jam
Cernua, ſubmittitque ſuum Bohemia collum,
Dalmatia inclinat caput, alta Croätia faſces
Porrigit, atque ſuum ſociat Slavonia ſceptrum.
Boſniàque & Dacia, & Bulgaria, Serviaque unà
Accelerant, Dominumq; humili cervice paveſcunt.
Auſtria congaudens aquilinas explicat alas
Fortius, & læto CAROLUM Burgundia vultu
Aſpicit, & ante tuum ſe Styria fida tribunal
Proſternit, plauditque ſuis Carinthia votis.
Et reliquæ gentes, vaſtorum tractus agrorum
Teutonidum, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere ſolo, pallensque Bavaria pronas

Dedi-

Dedicat illâ manus, Dominum Te Svevia adorat,
Marchiaque & Catti, ſacrata ad ſceptra paratus
Palatinus adeſt, juratur CAROLUS abſens,
Imploratque tuum ſupplex Alemannia Nomen.
Teque Obotrita tremit, latæ venit accola ſylvæ
Bructerus Herciniæ, feriſque paludibus exit
Cimber, & ingentes Regem ſtupuêre Cheruſci.
Quis nollet parere Tibi? mitiſſime Cæſar?
Digna Patris magni ſoboles, cui pulcher in ore
Vernat Amor, qui blanda ſuis dat jura Quirinis,
Et premere & laxas novit dare cautus habenas.
Sic decoras veteres, Rudolphica ſtemmata, ceras,
Sic & Avos, Atavosque tuos poſt terga relinquis.
Ne Tibi diſpliceat, CAROLOS ſi ſcripſero Reges,
Illos magnanimos Reges, magnosque Monarchas.
Hic primus ſe offert CAROLUS cognomine Magno,
Qui domuit germanum orbem, cui lumina ſparſit
Immerſo tenebris, Chriſtique adjunxit amori
Alcuino monſtrante viam. Huic ordine Nati
Tres geniti, ſplendens Ludovico Aquitania ceſſit,
Pipino adjecta eſt regio latiſſima tractu
Longobardorum, Carolo ſed Francia tota,
Et Burgundus ager, patulisque Auſtraſia campis.
Hic Saracenorum populos, Hungaricaque arva
Saxones, Hunnorum gentes, Friſiosque comatos,
Ac impacatos, ſi tu hos cognoſcis, Avares,
Danorumque Ducem ſtravit, dubiumque Bohemum.
At nullum fudit populum, niſi ſedibus imis

Æquaſſet nocuos alta cervice Deaſtros.
Divino planè Zelo dejecit inanem
Mavortis ſtatuam, Crodon, Venerisque ſacellum,
ChuſidiumqueCubamque ad Chriſti altaria duxit.
Pampilonenſes, Dithmarſos atque Navarros
Dulce Evangelium docuit, Svecumque Biornum.
Struxit Athenæum, quo culta Pariſia gaudet,
Et quod perpetuis dignum eſt perſcribere cedris,
Miſit in Ægyptum, Syriam, Lybiamque ferocem
Exploratores varios, certô ære ſolutô,
Ut ſervos Chriſti eriperent, ſervasque fideles
Ungue Tyrannorum, libertatique priori
Aſſererent. Tanti eſt fidei vis enthea CHRISTI!
CAROLUS alter erat Calvus, Rex fortibus auſis,
Et magnô ingeniô, ſtudiis immerſus honeſtis,
Quando parē inveniet? Scotus huic divinus adhæſit
Erigena, hic lectô jacuit, quô Cæſar, eòdem
Æthereumque ipſi blande inſpiravit amorem.
Tertius eſt CAROLUS Craſſus, qui nobilis Heros
Contra Normannos, Saracenos, atque Bohemos
Arma tulit, quorum gentili nocte relictâ
Dux Chriſtum addiſcens ſanctis mox tingitur undis.
CAROLUS hinc quartus Cæſar, Regisque Bohemi
Filius invicti, matrem cognovit Eliſam,
Ex juttâ natam, fuerat quæ nata Rudolphi.
Per varios actus caſus diadema reſumit
Cæſareum, cupidas præbens Pragenſibus aures,
Cum diſſertarent ſapienter in arte magiſtri:
Hæc,

Hæc, inquit, mea cæna fuit. Sic aurea bulla
Scripta ejus juſſu, quâ tum Electoribus ipſis
Frena dedit, Regnumque ipſum temone ligavit.
CAROLUS at quintus, magni Rex arbiter ævi,
Cæſar major avis, ex ſanguine RUDOLPHINO
Cui Pater Auſtriadûm Dux & tutela Philippus,
Mater erat ſoboles Ferdnandi Regis Iberi,
Huic Quinto egregias junxit ſapientia dotes,
Ingeniumque ſuis acuit velocius annis.
Nil tamen adſcripſit ſibi, quod mireris, at omne
Ipſe Deo, dixit: CAROLO victoria viſa eſt,
Ipſe DEUS vicit. Gallis, Turcisque fugatis,
Non inflatus erat, juſti flammatus amore
Puniit, at rigidas clemens compeſcuit urnas,
Conſtantisque animi fuit, hinc vox Principe digna,
Cæſaris eſt, ſervare fidem, ſi hæc exſulet orbe,
Hoſpitium inveniat ſecurum in corde Regentis.
Macte illis Proâvis, ô Auguſtiſſime Cæſar,
CAROLE Sexte, Atavos numero & virtutibꝰ omnes
Exſuperans, mundi, ſpem de Te laudibus æquas,
Magnorumque omnes ceras tranſcendis Avorum.
In Regno Heſperiæ Rex, CAROLE, tertius audis,
Romano ſed ſextus eris, creſcentibus annis,
Formoſorum in Te Virtus ſuccreſcet amorum.
Si ſuperas Primum meritis, & in ordine Quintum,
CAROLE, quantus eris! longe majora daturus
Auſtriacæ momenta domus, ac pondera rerum
Maxima, queis viſis, ac ſextâ ætate peractâ,
Tem-

Tempore ſepteno mundi natura quieſcet.
Nam ſex transactis, Agno frangente, ſigillis
Lucebit promiſſa quies, lapſisque diebus
Sex magnis, aderunt mox dulcia Sabbatha mundo.
Huc ades euge, ito bonis avibus, huc præpete pennâ
Advola in amplexus Matris, citò ſolve carinam,
CAROLE, Bætigenisque ſatis detentus arenis,
Urge Aquilam fervore pio, & majoribus alis
Eöas perrumpe plagas, tandemque morare
Auſtriacâ ſublime domo, comitentur euntem
Undique ſpirantes Zephyri, Ledæaque Cælo
Sydera, jucundique micent ad claſſica ſoles.
Cernis, ut exſultent, navique vehantur eâdem
Hærentes lateri Comites, multique Dynaſtæ
Cum deſiderii pennis raptentur ad Aulam,
CAROLE Sexte tuam, votisque, notbisque ferantur.
Non ſic Phœnicem, quando parat ipſe volatum,
Innumeræ comitantur aves, ſtipantque volantem
Alituum ſuſpenſa cohors, numerusque ſonoras
Obnubit vario latè convexa meatu.
Cernis, ut erecto ſpectet tua patria collo,
Auguſti viſura jubar, tua celſa Vienna
Exſilit impatiens, & AMALIA WILHELMINA
Dediſcit lacrimas, neſcit BENEDICTA dolores,
Atque MARIA ſuis ſolitò plus gaudet in annis.
O quam Te pronis Academia ſuſcipit ulnis!
Quam lætum Tibi fundit epos! Tibi jubila cuncta
Unà iterant, lætosque ineunt per mutua plauſus!
Atque

Atque omnes Phœbææ artes, & conſcia vocum
Fœdera conſpirant, reſonis cava littorà votis,
CAROLE, CAROLE, reſpondent, repetuntque locuta.
Jugera feſtivas agitant commota choreas,
Lætanturque domus, ſic quisque interrogat illic,
Quando venit Carolus? ſin forte venire moraris,
Ad Te templa ſuis venient emota repentè
Sedibus, ipſi agri advenient, & flumina current.
Unusquisque novas ſibi fingit ſumere formas
Lætitiæ, quibus arcanum teſtetur amorem.
Qualiter ille olim noſtro mirabile ſeclo
Edidit, atque Aquilam fecit magnâ arte volantem.
Illa, manu Artificis caute dimiſſa Magiſtri,
Ibat in occurſus Regis, Romana tenentis
Imperia, unde loci ſubitò converſa per auras
Agmine pennarum Regem comitata per alta
Tecta Norimbergæ, quæ vult, vel muta perorat.
Ipſe Tibi, non arte novâ, ſed verſibus iſtis,
Quos legis, occurro, CÆSAR, munuſcula portans
Finibus extremis, qua Parthenopolis alma,
Et vetus agnatis ſe Marchia dividit agris,
Atque ubi vixerunt antiquæ gentis Obardi.
Ipſe ego ſim quamvis minor inter mille Poëtas,
Vota ſacrata cano, non falſò pectore nata,
Et Tarteſſiaco de littore diſcedentem,
Atque lares patrios repetentem, maxime Cæſar,
Te ſequor, & ſacris interſum jugiter actis.
Aſt ego quo rapior? quæ parvam flumine tantô
Cir-

Circumagunt puppem Oceano? diffundor, & inter
Æquora non ullum poſſum ſecernere pontum.
Contrahe Muſa ſinus, patulo ne crede profundo,
Et procul ingluviem, faciemque Charybdis avaræ
Effuge, & ultoris naviſraga Saxa Caphareî,
Securusque tuam duc ad ſua littora Cymbam.
Tu tamen exigua hæc noſtrâ donaria, Cæſar,
Sume manu, trepidisque velis concedere Muſis,
Atque oculis dignare tuis, ſolitoque favore
Excipe diductum clementi fronte Poëma,
Quod noſter dictavit Amor, ſic Mantua quondam
Auguſto dilecta fuit, cecinitque Maronis
Muſa heroïnas, dum favit, dulcius odas.
Mens certe grata eſt, nec iners, pauperque voluntas,
Magna darem, ſi eſſem magnus, far offero parvum,
Prunaque & in patulis redolentia mala caniſtris,
Quæ forſan vel Baucis anus, pariterque Philemon
Pro pietate ſua menſis poſuêre minutis.
Si majora cupis, Tibi ſunt tot in arte Poëtæ,
Grandiloquo docti ore loqui, & prædivite venâ
Aurea limato cantabunt carmina plectro.
Interea res Auſtriadûm, Latiæque ſecures,
Attollant ſublime caput, cæloque locentur!
Alituum Princeps Aquila eſt, vos cedite Galli
Regi Aquilæ, vosque, ô reliquæ ſubmittite vosmet,
Non niſi vulgus, aves, veſtrum non audeat ulla
Obſtrepere, at Domini, quod mandat, Numen adoret.
Quid ſtrepitis Thraces? Quid lunam atq; oſtia veſtra
Pan-

Panditis, aut noſtro tumidè inſultatis Olympo?
Quidve novos, Galli, verſatis mente tumultus?
Ecce! Rudolphini proceſſit Cæſaris Aſtrum!
Lilia at ægra ſuum jam jam morientia collum
Demisêre nimis, dediſcet plaudere pennis
Ales inops, Aquilasque novas, Anglosque timebit.
Nam, qui olim Pharii jactantia colla Tyranni
Contudit, ac rubro vaſti ſalis æquore cunctos
Merſit equos, equitumque globos, hic ipſe phalanges
Præcipites aget, & pallentibus inferet umbris.
Ipſe probè memini, & crebro meminiſſe juvabit,
Quomodo divinus pro Te pugnaverit Æther,
Cum Mahumetanus vaſtâ obſidione Viennam
Cingeret, algificoque impleſſet cuncta pavore.
Namque ſui ſervi LEOPOLDI haud immemor, iram
Fudit in Allophylos ſubitam, ſubitamque ſalutem
Reſtituit, juſſitque horas ſperare ſecundas.
Tunc poterat quivis manifeſtum cernere Numen,
Et ſentire Deum præſentem & voce fateri.
Nam licet in Thracas SAXO *hinc atque inde* POLONUS,
Irrueret, denſumque agmen perrumperet ira
Contemtrix animæ, ſævumque abſumeret hoſtem;
Non tamen hæc noſtris fas eſt adſcribere dextris,
Pugnavit Dominus, Superi vicêre tumentem.
Hic Oculus pro Te vigilabit, CAROLE CÆSAR,
Hic erit à dextris, confide, Hic ſufficit unus.
CAROLE, vive diu, ſupera omnes Cæſaris annos,
Qui mundo fluxêre unquam, procede ſecundis
Aliti-

Alitibus, Phœbique novos ordire meatus;
Atque Aquilas tranſcende tuas, Aquilæq; ſenectam!
Tu noſtris votis, Te nos, Auguſte, fruamur,
Nam Tibi quæ facili defluxit Gratia Cœlo,
In commune fluit, donoque potimur eôdem.
Vive diu! vivat tecum regalis ELISA,
Quæ non ſegnis Avum, Patrem, Patriamque relinquens
Ad veſpertinos olim tranavit Iberos,
Atq; iterum Heſperiam linquens, tecum intrat Eöam
Auſtraſiam, & lateri comes indivulſa cohæret.
CAROLE, vive diu! vigeant RUDOLPHICA late
Stemmata, nulla tuas violet fortuna tiaras,
Aſpice Te in Te ipſo, votis fatisque benignis
Poſthumus Auſtriaco veniat de ſanguine Cæſar.

1060 20

09 958822

Digitized by Google